



~~EX~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-19.

SIGNAT. CLVCCCXIII.

theol. Vol. 40

einzelner verzeihelt 30/3. 1915.

D. O. M. A.

Pugna Michaelis

& Draconis

Sive

in Apocalypf. c. XII. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

EXEGESIS

quam

PRÆSIDE

*VIRO PL. REVERENDO, AMPLISSIMO, ET
EXCELLENTISSIMO*

DN. ABRAHAM CALOVIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ecclesiæ VVitteb.

Pastore, & Electoratus Saxon. Superint. Gener. nec non Ecclesiast.

Consist. Assesf. longè meritisimo.

DN. Præceptore & Patrono suo summo:

WITTEB. D. XXI. JAN. A. O. R. M. DC. LVIII.

publicæ disquisitioni sistet

Auctor & Respondens

M. BURCHARDUS CLANNERUS, WIT.

SEREN. ELECT. SAX. ALUMNUS.

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





§. 1.



DE AUCTORE Apocalypseos Jo-
hannæ non convenisse inter veteres, Euse-
bius testis maximè est, qui *Lib. VII. c. 20.* Dio-
nysium Alexandrinum refert Apocalypsin pro di-
vino & Canonico agnovisse libro: dubitasse verò,
num Johannis, num verò alterius cujusdam ejus
nominis sit. Et ipse Eusebius *L. III. c. 39.* illam Johanni, qui inter
seniores numeratur, adscribit. Quam in rem plura vide apud
eundem *Lib. III. c. 21. 22. 36.* Sic Hieronymus *Epistolâ ad Dardanum*
ait, *Græcos de Auctore Apocalypseos contra communem Latinorum*
consensum dubitasse, sicuti Latini dubitaverunt de Auctore Epistolæ
ad Ebræos.

§. 2. Jam porro de AUCTORITATE istius libri, idem
Eusebius etiamnum suo tempore, inquit *disparem fuisse apud mul-*
tos opinionem: probantibus illam aliis, aliis verò reprobantibus.
Lib. III. c. 24. Inprimis verò huc faciunt verba *Dionysii*, quæ
extant apud Eusebium *Lib. VII. c. 24.* ubi & de auctoritate & de
auctore Apocalypseos diversa quædam judicia allegat. *Nonnulli,*
inquit, ex prædecessoribus meis penitus libellum hunc refutandum,
& à Canone scripturarum abjiciendum putarunt. Singula quoq; ejus
capitula arguentes; & dixerunt, prætitulationem libri non esse
veram, sed alienæ scripturæ, Johannis tamen nomen impositum.
Unde neg; Johannis hunc esse librum, nec revelationem videri posse,
quæ crasso quodam velamine ignorantia contegatur. Addiderunt
& hoc, quod nihil dignum in eâ gravitate Apostolicâ censeatur. Sed
ne alicujus quidem Ecclesiasticorum saltem virorum scripturam esse
dixerunt, sed Cerinthum quendam Auctorem Cerinthianæ hereseos,
volentem dogmatis sui fidem Apostolici nominis opinione firmare,
libello à se conscripto Johannis titulum prætulisse. Deniq; in-
quiunt Cerinthi dogma hoc continet, in terris futurum regnum
Christi &c.

A 2

§. 3. Vul-

§. 3. Vulgata inscriptio ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ
nomen præfert. At multò disertius in Exemplari Complutensi
dicitur, ἀποκάλυψις τῆς ἀγίας Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστῆς Ἰωάννου
τῆς Θεολόγου, *Revelatio sancti Apostoli & Evangelistæ, Johannis
Theologi.* Et Lugdunensis Editio 1537. *Apocalypsin Johannis Apo-
stoli* eam vocat. Quem titulum si æquè omnes codices agnosce-
rent, certior forte videretur Auctor Libri. Nisi & ipsa illa usi-
tata inscriptio eum satis ostenderet. Etenim Johannem Apo-
stolum THEOLOGUM passim vocant vetustissimi sincerioris
Ecclesiæ Patres: κατ' ἐξοχήν nempe, quod Deitatem Christi lu-
culentissimè omnium adstruit. Illustria Augustini verba sunt,
quæ in hanc rem perscripsit. Lib. IV. de conf. Evangelist. *Liquidò
constat, inquit, tres istos, Mattheum, Marcum, & Lucam, maximè
circa humanitatem Domini nostri Jesu Christi esse versatos, secun-
dum quam & Rex & Sacerdos est. Divinitas verò Christi, quæ
æqualis est Patri, secundum quam VERBUM est, & DEUS apud
DEUM, & Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis; secun-
dum quam Pater & Ipse unum sunt; à Johanne maximè commen-
danda suscepta est, qui sicut AQUILA in his, quæ Christus sublimius
locutus est, immoratur, nec in terram quodammodo, nisi rarò de-
scendit. Ac sicuti in cæteris scriptis, Christum λόγον, & Agnum Dei
vocare amat, & frequenter adhibet formulas istas, Testimonium,
testari, sermones Dei servare, custodire verbum Dei, observare man-
data Dei, fidem Jesu &c. Ubique verò Divinitatem Christi as-
ferit: Ita in Apocalypsi eadem repeti crebrò, quis non videt?
Et ipse Auctor c. l. 9. ait se fuisse in insulâ Patmo propter verbum
Dei, & propter testimonium verbi Christi. At Johannem Apo-
stolum in Patmum Insulam à Domitiano deportatum esse, omnes
tam Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ scriptores testantur, uno
Epiphanio excepto, qui ad Claudium Imp. Johannis exilium re-
fert. Ibi verò revelationes istas à Johanne Apostolo sub imperii
Domitiani finem ferè visas, *Jrenæus* Lib. V. 5. & *Eusebius* Lib. III.
c. 16. disertè asserunt.*

§. 4. Quid enim hîc Cerinthus? aut quomodo sanctis-
simi scripti auctor existimabitur, qui errores pessimos fovet, &
luculentissimè in Apocalypsi refutatur: Equidem *Chiliasmum*
inpri-

in primis, (& hunc docebat Cerinthus) stabiliri Ap. XX. etiam veterum quidam opinati sunt. (*Euseb. Hist. Eccl. III. 28. VII. 24. 25. Hotting H. E. c. III. f. 5. p. 155. ff.*) Sed vanè admodum: sicuti id per partes ostendit *Job. Cluverus*, diluc. Apoc. T. I. c. 1. Quare Auctorem istius Libri Johannem Apostolum, & Auctoritatem divinam asseruerunt rectissimè, ex vetustioribus, seculo II. *Iustinus Martyr. Dial. cum Tryph. Melito Sardensis, ap. Euseb. H. E. IV. c. 25. Seculo. III. Tertullianus l. IV. adv. Marcion. c. 5. Origenes homil. VII. in Josuam. it. Comment. in Matth. tr. XII. in cap. XX. hom. XX. super Numer. Cyprianus de exhort. Mart. cap. III. Sec. IV. Athanasius in Synops. Hilarius, præfat. in. Psalm. Ambrosius in Psalm. XL. Epiphanius Hæres. LI. LIV. LXVII. Hieronymus in Epist. ad Dardan. & Paullin. Damasc. lib. IV. c. 18. Sec. V. Chrysostomus hom. III. Ps. XCI. Augustinus tr. 36. in Johann. tr. 13. de C. D. I. XX. c. 7. de Doctr. Chr. L. II. c. 8. Primasius comment. in Apoc. Item Concilium Carthaginense III. c. XLVII. Concil. Tolet. IV. c. 16. Ex recentioribus, *Hoe, Gerbardus, Junius, Brichtmannus, Pareus, Beza, Cluvertus.**

§. 5. Nugas agunt *Bellarminus, Alcasar, Blasius, Viegá*, cum à *Luthero* convulsam libri auctoritatem, & *Johanni* Apostolo abjudicatam scriptionem: ac proinde Centuriatores *Magdeburgenses*, qui utrumq; id asserunt, à *Luthero* defecisse calumniantur. Interpretati malè quandam præfationis partem, quam *Apocalypsi* vir divinus præmisit. Atqui *Lutherus* eo ipso in loco haud negat, *Johannem* Apostulum scripti istius auctorem esse. Neq; etiam vetuit suos ita existimare: quin id saltem agit, uti commemoret vetustissimam quorundam Patrum dubitationem ab *Eusebio* memoratam, quam tamen decidere ipse nolit: Interim haud quaquam dicta sua eò tendere ut sentiendi quod velit quisque, libertatem adimant, illicò subjicit. Et certè effata libri allegat crebrò, atq; ad eruendum mysteriorum ejus sensum, solus plus lucis attulit, quam Pontificii in universum omnes.

§. 6. Continet verò *Apocalypsis* in se tū ea omnia, quæ *ἡ πρῶτη πρῶτης γρηγορίας θεοπνεύστου* & *Paulus* asserit II. *Tim. III. 15. 16.* hoc est, communi cum cæteris libris more de præcipuis fidei Christianæ arti-

culis lectorem evidenter instruit, & ad vitam in CHRISTO JESU
piè honesteq; agendam (cujus officia præscribit quoq;) excitat:
tùm verò seorsim pulcherrimo ordine, majestateg; ac copiâ, de
regni Christi sub novo fœdere conditione & fati prædicit. My-
sterium Anti Christianæ impietatis (quod *Daniel* c. XII. *Johannes*
I. 4. II. 18, IV. 3. *Paulus* II. *Thes.* II. 3. ff. perstringunt saltem) aperit.
Tabernaculi Mosaici, præcipuarumq; in eo partium mysticam
significationem: Historiarum quoq; V. T. & vaticiniorum sub
Novo usum spirituales studiosè inculcat: quod Paulus antea
fecerat, insigni illâ, & quam veteris Testamenti clavem rectè
dixeris, ad Ebræos Epistola.

§. 7. Interim haud diffitemur, maximam libri DIFFI-
CULTATEM esse. Diu fuit quòd *Job. Calvinus* conquere-
batur, se ignorare planè, quid sibi tam obscurus liber velit. Sed
enim verò multò ante *Hieronymus ad Paulin.* scripsit: *Liber in*
Apocalypsi septem sigillis obfirmatus ostenditur; quem si dederis ho-
mini scienti literas ut legat, respondebit tibi; non possum, signatus
est. Item *Apocalypsis tot habet Sacramenta, quot verba.* Quò
faciunt etiam *Augustini* verba, qui lib. XX. de Civ. DEI, c. 17. In
hoc, inquit, libro, cujus nomen est *Apocalypsis* obscure multa dicun-
tur, ut mentem legentis exerceant; & pauca in eo sunt, ex quorum
manifestatione indagentur cetera cum labore, maximè, quia sic
eadem multis modis repetit, ut alia atq; alia dicere videatur, cum ali-
ter atq; aliter hæc ipsa dicere investigetur. Et certè occurrunt obscu-
rissima quædam: in primis cap. VI. VIII. IX. XI. XVI. XX. quæ in-
gentem laborem ac summam attentionem postulant. Quod
idem legentibus extremam *Ezechielis* partem usu venit, ubi de
sacris, ceremoniisq; & religionum solemnibus, de Templo ac
partibus modoq; quædam habet, quæ quid significant, aut quo
pacto sint explicanda admodum difficile dictu est.

§. 8. Sed præterquam verò, quod EVENTUS interpre-
tari bonam libri partem possit: habentur etiam in *Apocalypsi*
quædam, per omnem contextum sparsa, clarissimè dicta: quæ-
dam & per repetitionem plana fiunt, ex quibus recondita illa
atq; obscura erui commodè; illustrariq; queunt. Nam sicuti
accuratè omnia plenissimèque haud demonstrat: ita evolvi
tamen

tamen atq; enucleari illa posse, ut lectori non moroso, sed liberè & candidè judicanti satisfiat, existimandum est. In universum verò, quod intelligi Apocalypsis possit, ex ipso scripto partim, c. XXII. 10. ubi signari sermones Angelus prohibet; & promissione beatitudinis, datâ iis, qui legunt, audiunt, & conservant verba ista. c. I. 3. XXII. 7. & ad hortationibus crebris, uti expendant p̄tobè, quæ dicuntur. c. XIII. 18. XVII. 9. XIII. 10. XIV. 12. XIII. 9. Et sine consilii divini deniq; c. I. 1. XXII. 6. 16. quod neutiquam frustratur: probat primum Cluverus, ac dein hypotheses quasdam veræ interpretationis ponit: quas recensere tamen h. l. prolixius, ratio instituti nostri haud permittit.

§. 9. Id enim constituimus modò, in explicandis capitulis XII. commatibus VII. operam aliquam impendere. Non inutilem spero. nam quis fructuosior unquam, quam in sacrarum literarum studio labor? Et juvabit profectò, ire per annales veterum, recolereque diversos Ecclesiæ Christianæ status. Ut læta modò & florens, nunc convulsa iterum quasfataque, nunquam occubuerit tamen penitus: sed restaurata denuò creverit nobilissimis incrementis. Quanquam ne sic quidem certaminum secura: dum infiniti eam hostes, aut invadunt apertè, & ipsum jugulum petunt: aut occultè mali, fodiunt latus, irriti tamen, insigni providentiæ, auxiliique divini solatio ac documento.

§. 10. Enimvero propositum generale capituli duodecimi est, dissidium implacabile, & bella illa perpetua inter Ecclesiam Satanamq; & ministros ejus typis quibusdam exponere, ostendereq;, quomodo hic Antichristo utens, perniciosissimo instrumento, vexet quidem variè gregem domini, atq; affligat: sed ille tamen resistat fortiter & vim propulset, major semper claudibus suis, perq; damna ac cædes animum viresq; ducens ab ipso ferro. Cæterum nos hoc loco *conflictum illum Michaëlis & Draconis, & exturbatum calo Satanam* unicè contemplantur. Et ita quidem, ut de *partibus configentibus* agamus primùm; deinde *expositâ dissidii causâ locum* etiam certaminis, ac *tempus* demonstramus, *modumq; prælii*, ac postremò *eventum*. Tum exponendum ἐπιπίσιον quoque, & ista omnia prolixius ex historiâ Ecclesiasticâ explicanda erunt.

§. II. Stant

§. 11. Stant ergo ab unâ parte ὁ Μιχαήλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, Michael cum Angelis suis: Sed ab alterâ verò, ὁ Δράκων ἐπολέμησεν καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, Draco Angelic⁹ illius decertant. MICHAEL similem DEO notat. Ac sicuti Dan. XII. 1. ubi itidem de custodiâ Ecclesiæ veræ agitur, CHRISTO Filio Dei, Principi atq; Excubitori immenso id nomen datum est: ita & hoc loco alium haud capimus. Hic ille יהוה עזן וגבור יהוה גבור מרחמה Doming fortis & potens, Doming potens in pralio Ps. XXIV. Ille יהוה צבא ישראל princeps exercitus Domini, Jos. V. 14. הגדול המגדול magnus ille princeps. Dan. XII. 1. ille ἀρχάγγελος, Ep. Jud. v. IX. qui κατ' ἐξοχὴν Michaël dicitur, est enim DEO æqualis: & cum angelis eminentiori significatu suis, hoc est, à se conditis, & ad servitia sua destinatis, Col. I. 16. adversus Draconem, hoc est, Satanam ipsum, Apoc. XII. 8. pugnat. Et certè hunc ἐπιτίμιον caeleste palàm indicat, v. X. in celo nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas CHRISTI ejus: ac si diceret, δύναμιν καὶ τὴν ἐξουσίαν Christi, ex victoriâ illâ Michaëlis à Dracone reportatâ, luculenter patere. Vid. Hoe, comment. ad h. l.

§. 12. Non ergo HERACLIUS Imp. hic innuitur, ut Lira visum est, qui adversus Cosroën Persam pro Christianis pugnavit. Nec CONSTANTINUS M. qui Maximinum, Maxentium & Licinium, Christianismi hostes, profligavit, quod Brichtmanno placuit. Ac postremo Viegæ quoque sententiam misam facimus, qui de Angelo creato, sed supremo ex iis, qui in veritate steterunt, ista cepit. Utut Viegæ hic subscribat Joh. Cluverus dilucul. Apocal. l. c.

§. 13. ANGELI MICHAELIS, & Spiritus bonos, communissimâ vocis acceptione; (qui itidem יהוה צבא heroes Ps. CIII. 20. & πλῆθος στρατίας ἐρανης, multitudo exercitus caelestis Luc. II. 13. dicuntur) & omnes in Ecclesiâ CHRISTI fideles II. Cor. X. 5. ministros verbi imprimis, Mal. II. 7. III. 1. Matth. XI. 10. Marc. I. 2. Luc. VII. 27. Apoc. I. 20. II. 18. 12. 18. III. 1. 7. 14. Magistratusq; pios notant. Sicuti econtra per ANGELOS DRACONIS non solum maligni Spiritus, II. Cor. XI. 7. Matth. XXV. 41. sed & Pseudopropheta, persecutores, heretici, & impii Principes, ceteraq; Diaboli squamæ intelliguntur.

§. 14.

§. 14. DRACO ipse verò SATANAS est, interprete Johanne v. VIII. qui titulus solennis propè Diabolo in Apocalypsi, nam decies ibi & ter huic tribuitur. Improbabilis ergò Brichtmanni opinio est, cùm de *organis Satanae* seu de *Cosroe Persa*; *Maxentio*, *Maximino*, *Licinio Imperatoribus Romanis* ista interpretatur, quod alibi tamen rectius fit, *Es. LI. 9.* Cur a Draconi præcipuè Satanus comparetur, id *Hoe & Cluverus* fusius executi sunt, verba quædam *Hugonis in Ps. LXXIII. & Plinij H. N. VIII. II. 12.* allegantes, II. cc. Nos omnia ista haud exequimur, brevitatem professi. Interim ut de *Epithetis* tamen versibus IX. & III. quoque, allegatis ratio nobis constet, notamus breviter:

§. 15. MAGNUM initio Draconem dici. Ita vocabatur & supra v. III. ob malitiam nempe, sævitiamque, & profundam nocendi libidinem: item ob numerum ac robur nocentissimæ istius sectæ: quod *capita cornuq; septem, ac totidem diademata* inferunt. RUFUS verò eodem versu apparuit, *Να τὸ Φοινικὸν αὐτὸς ἔκτειλε, quia sanguine innocentium totus cruentus est*, homicida ab initio, *Job. VIII. 44. Conf. Apoc. VI. 4.*

§. 16. SERPENS ANTIQVUS à primo facinore dicitur, quo quid animi sibi erga humanum genus esset, satis ostendit. Agebant in beatissimis hortis parentes primi, & fruebantur bonis suis, felices undique & sanctitatem creatoris tuentes: cùm malus iste genius, cui ex incommodis nostris jucunda voluptas est, diversa omnia illos persuadet. Ibi ergò defecimus miseri, & nunc noster nos error gravisque noxa mortalitate damnavit, quam per langviores & mille corporis mala explemus. Extant ista capite *Geneseos* tertio. Sed quoniam verò Serpentis saltem mentio ibi fit, hinc *Rabbinorum* aliqui, & ipse etiam *Flavius Josephus Ant. Jud. I. 3.* credidere, *nudum ac merum serpentem* parentibus nostris imposuisse. Et fortè si id modò sequimur, quod verba sonant, tota res optimè in hoc animantis genus quadrat. Vetus quædam persuasio fuit, omnia animalia antiquitus loquendi facultate prædita fuisse. Quod si ineptum hoc, at non res inaudita penitus tamen est,

B

brutum

brutum animans excepisse voces & reddidisse. Nam de Bi-
leami asinâ palam est: Quod autem pedibus amissis repat ser-
pens, sanè nequiquam Satanae congruit. Aristoteles, quia
veram causam ignorabat, rationem ejus rei mirè ingeniosam
ex ipsâ attulit naturâ. At meliore usi magistro, esse id sciunt
ab irato numine. Sic odium hominum in serpentes naturale
est. Apud Artemidorum in libro secundo serpens inimicitia-
rum symbolum legitur, & in Theocriti ἀδωνιαζήσαις mulier-
cula quaedam.

— τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα,

frigidum anguem ut maximè se odisse ait. Id verò conveni-
entissimum est, quod de contritione capitis subditur. Etenim
hâc parte qualiscunque læsio angvibus lethalis est. Itaq; quo-
ties periculum imminet, admirandâ industriâ in spiram se col-
ligunt, & caput reliquo operiunt corpore.

§. 17. Sunt hæc ejusmodi, quæ Rabbiniis non animad-
vertentibus condonari fortè possunt. Flavio indignamur,
quem certè, quo die isthæc scripsit, purgamentum aliquod cat-
cavisse existimamus. Adeo infelicitè, & præter morem suum
locutus aliena est. Quis enim medioeri prudentiâ, nedum
tantis rebus exercitus, non deprehendat ex contextu toto, Dia-
bolum serpente, seu instrumento quodam, in decipiendâ Evâ
usum? Aut cur quæso potissima divinæ maledictionis pars,
diabolum attinet? Id quod primi parentes facilè tum intel-
lexere. Conf. Sap. II. 24. II. Cor. XI. 3. 14. Ap. XX. 2. Ut de absur-
dis deniq; quæ sententiam istam premunt, nunc non dicam.
Cæterum τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον ANTIQUUM Johannes nomi-
nat, ut declarèt, eundem esse, qui hîc cælum vanâ arrogantiam
petit, & Christianos accusat, cum vetustissimo illo generis hu-
mani hoste.

§. 18. Porro DIABOLLIS appellatur. διαβάλλειν traji-
vere propriè, per translationem verò calumniari, deferre, con-
flare invidiam significat. Ut enim telo transverberamus feram,
ita calumniatores aliorum famam linguâ suâ trajiciunt. Inde
Διάβολος Calumniatorem notat, apud Athenæum, & Lucianum

μητῆς

num quoque qui librum integrum *περὶ Δαβολῆς de calumniâ* conscripsit. *Δαβολώτατον Aristophanes in Equitibus* posuit, καὶ ἐξοχήν autem vocatur ita princeps impurorum geniorum, *ἀπὸ τῆς πρώτης αὐτῆς, περὶ ἀνθρώπων Δαβολῆς*, ut *Justinus Martyr* ait, *ᾧ θυνέσει ad gentes*, h.e. quod Deum apud Adamum impudentissimè calumniatus est, *futilis Spiritus, & mendaciorum pater, Job. VIII. 44.* Deinde verò in odium Dei mortales omnes adducere percipit, accusatoriam diritatem ideò continenter exercens. *vers. X.*

§. 19. SATANAS originem Ebræam habet, à radice *שׂטן* quod *adversari* vel *odisse* notat, *Pf. XXXVIII. 21. LXXI. 13. CIX. 29.* Quinquies supra XXX. in Novo fœdere occurrit. In veteri Instrumento itidem, *II. Sam. XIX. 22. I. Chron. XXI. 1. Zach. III. 1. Pf. CIX. 5.* Sed quando de Spiritu malo dicitur, *LXX Int.* semper *Δαβόλον* reddidère. At cum simpliciter *adversarium* infert, Ebræam vocem retinent, ut *I. Reg. XI 14. 23.* Græcè diceres *ἀντικείμενον*, *II. Thes. II. 4.* vel *ἀντίδικον*, *I. Petr. V. 18.* aut *ὁ ἐχθρός.* *Matth XIII. 39. Luc. X. 19.* Est verò Satan implacabili dissidio Deo hominibusq; oppositus. Nec ipse de se Deum oppugnasse contentus, aliis etiam fraudi est, dum CHRISTO & saluti hominum contraria sapit, suggeritque. Planè sicuti Evæ olim imposuit, Deum, cum invideret homini felicitatem, fructu arboris parabilem, usu ejus omni ipsis interdixisse. Vide *Lutherum Tom. IV. Lat. f. 363.* ad locum *Matth. XVI. 23. Abi post me Satana,* divinè, ut solet hic vir, commentantem.

§. 20. Nondum elogiorum omnium finis est. Sequitur enim *ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ἔλην*, hoc est, ORBIS UNIVERSI SEDUCTOR. Noverant homines naturâ ipsâ duce, esse aliquod numen summum illud & æternum, neq; mutabile, neq; interiturum. De essentiâ ejus & cultu edocti verbo erant. Instruebantur deniq; majorum exemplis. Et tamen DECEPTOR hic fecit fucum, dum se colendum objecit, specioso adspectu, dolosisq; blanditiis, pravæ hominum inclinationibus adrepens. Cur enim revererentur impurissimos Deos, nisi si indulgentes

illos crederent, seq; exemplis illorum tuerentur. Dicitur cre-
dive haud potest, quot plaustra Deorum Dearumq; ac religio-
num monstra sinxerint sibi, hoc suggerente DECEPTORE, ab-
surdissimi homines. Et ingens tñ. crimen erat spernere inepti-
as istas, majusq; aliquid vulgo sapere. Unde Aristophanes de
Socrate in scenâ lusit:

ὦ δέσποτ' ἀναξ, ἀμείτην' ἀήρ, ὅς ἔχει τὴν γῆν μετέωρον,
λαμπρόος ἢ αἰθέρα, σεμνοῖτε θεοὶ, νεφέλαι βρογυθησικέραυνοι.
Et Mox:

αὐταὶ γὰρ εἰ μόνον εἰσὶ θεοὶ, τὰ ἄλλα δὲ πάντα ἐστὶ φλύαρος.
Spernebat vir sapientissimus eos Deos, quos colebat civitas
superstitionibus obnoxia, religionibus adversa. Hoc cuncti
cives ultum ivère putido maledicto, & Socratis numina esse
dixerunt nebulas & fluida elementa. Ita Judæam gentem contu-
meliâ numinum insignem Plinius scripsit, ad quam transgressi,
nihil quicquam prius imbuerentur, quam contemnere Deos. Tac.
Hist. V. 5. 5. Sapienter profectò. Quis enim non derideat ludibria
ista, qui habet aliquid sanitatis, cum videat homines velut mente
captos ea seriò facere; quæ si quis faciat in lusu, nimis lascivus & in-
eptus esse videatur. Lactant. Divin. instit. l. 2.

O miseri qui vanâ colunt, qui corde sinistro
Religiosa sibi sculpunt simulacra, summq;
Factorem fugiunt, & quæ fecere, verentur.
Quis furor est? quæ tanta animas dementia ludis,
Ut volucrem, torvumq; bovem, turpemq; draconem,
Semihominemq; canem supplex homo pronus adoret.
Quæ postrema Ægyptios maximè attinent, gentem ad miracu-
lum usq; supersticiosam. Qui ut Marcus Tullius ait, quamlibet
carnificinam prius subibant, quam ut aspidem aut Ibin violarent.
Et Flaccus jocosè tanquam de impia cade dixit

— si porrum & caepe trucidas.

Alius quispiam etiam indignatur & clamat,
O Sanctæ gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Neque Athenienses credo, utut haud paulò cordatiores, nu-
merum

merum facile iniviscent, tantâ numinum multitudine laborantes, ut etiam ἀγνώστω θεῷ, ignoto Deo aram ponerent. Act. XVII. 23. Vidit hoc Divus Paulus & miseratus est, jovitque eorum inscitiam, & fidenti oratione, in medio Areopago ad cives dixit: ὃν ἀγνοῦντες εὐσεβεῖτε, τῆτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν, quem vos ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio. Nam cum appellationes novas numinum quæ colerent, reperire amplius Græculi haud possent, colebant ignotum aliquod. Et verò cum nullus esset falsus Deus, cui posita Athenis non erat ara, restabat uti hic unus, qui ἀγνώστῳ ignotus erat, esset verus.

§. 21. Satis jam liquere existimo titulum UNIVERSALIS SEDUCTORIS Diabolo unicè competere. Neque enim Ægyptum modo & Atricam ista vesania tenuit. Orbem integrum occupaverat: solos Ebræos si excipias, quos ex cæterarum gentium communione selegerat, sibi seposueratque olim Deus, uti sacra sua legesq; & religionum ceremonias tuerentur. Sed tandem, ut nihil perpetuum est, in superstitiones noxias delapsi & ipsi sunt, quæ jam olim per vicinos fusæ, tum quoq; illorum imbecillitatem occupaverunt. Unde totvatum acerbæ conciones in eam gentem sunt, quas etiam nunchodiè amplissimis literarum monumentis consignatas viritim terit publicus usus.

§. 22. Postquam verò circumactis annorum spatiis natus Messias est, quem cælo demissum iri, ut defectionem nostram expiaret, vetustissimi vates prædixerant, tum discussæ tenebræ, & sanctus Dei cultus iterum stabiliri cepit. Mirabile dictu est, quibus incrementis auctus subito Christianismus fuerit: cum nullus penè orbis angulus esset, quo non illa doctrina impetu quodam & incredibili successu penetraret. Hic verò metuens sibi malus genius, omnium regum & gentium furorem, quicquid immane & atrox concitavit. Aggesta crimina, quorum vel nomen horrescerent Christiani. Quicquid ullibi cælo terrave calamitatum mortalibus ob sua scelera vel impiorum dolo illatum, Christianis imputabatur. Horum sanguine Romana

B 3

inca-

incendia, clades populorum expiatae. Et quaeso, num potuit foedius decipi orbis, quam quod oculis ipse suis, suisque auribus fide non habuit, postquam immane monstrum, cui litaverant hactenus, suo jam conspiciendum vultu per Evangelii praedicationem offerebatur. Ibi vero plerique suis capti sordibus obnitebantur, & procul a se arcebant salutem omnem amovebantque, irreparabili damno.

§.23. Superest ut de postremo etiam Satanæ cognomento quaedam afferam. ACCUSATOR dicitur v. X. ὁ κατηγορῶν τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἡμέρας ἢ νυκτός, ACCUSATOR fratrum nostrorum, qui noctes diesque illos apud Deum defert. Delatores genus hominum publico exitio repertum, nec panis unquam satis coercitum, Tacitus dixit, Ann. IV. 20. 5. Cumque in istos aliquando Trajanus animadvertisset, divinè Panegyristes, Nihil gratius inquit, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices. Agnoscebamus & fruebamur, cum velut piaculares publicae sollicitudinis victimae, supra sanguinem noxiorum, ad lenta supplicia gravioresque poenas ducerentur: Congesti sunt in navigia raptim conquistata, ac tempestatibus dediti. abirent fugerentque vastatas delationibus terras: ac si quem fluctus & procellae scopulis reservassent, hic nuda saxa & inhospitale litus incoleret: ageret duram & anxiam vitam, relictaque post tergum totius generis humani securitate, mœreret. Plinius Paneg. XXXIV. 3. 4. 5. & XXXV. O factum bene, quod DELATOR SATANAS caelo exturbatus scribitur. Cogita odium & impudentiam Dæmonis, & de atrocitate criminationum constabit. Aquisime iudex, dicit ad Deum, judica istum meum esse ob culpam, qui noluit tuus esse per gratiam. Tuus est per naturam, meus est per delictorum complacentiam. Tuus est per passionem, meus est per suasionem. Tibi inobediens, mihi obediens. A te accepit immortalitatis & innocentiae stolam, à me accepit pannosam hanc pessimam vitam tunicam. Tuam vestem dimisit, cum meam ad te venit. Judica istum meum esse, & mecum damnandum, VERBA DEVOTISSIMI Gerardi meditatione primam. Ita calumniatus Jobum est c. l. 9. ff. & Josuam P. M. Zach. III. 1. 2. & quem non?

§.24. Sed

§. 24. Sed nunc verò postquam partes confligentes demonstravimus, CAUSSA etiam CERTAMINIS exponenda est. Illa ex eventu pugnae patet. *Locum enim habere* Satanus voluit in caelo, hoc est, tueri honorem suum, quem à dementato orbe hactenus per longa secula ceperat. Igitur fraudes omnes ac dolos mendacissimus nebulo, vimque omnem hinc adhibet, saltem uti in odium homines adducat, & veritate caelesti indignos demonstret. At Michael contra, satis jam accusatos fratres suos, satis testatam illorum innocentiam contendebat, qui ad mortem usque suam erga DEUM CHRISTUMQUE amorem comprobassent. Quare dehinc frustra esse Satanam, si locum aliquem in caelo ac fidem speret. Cadere illum potestate omnique quam in miseros mortales exercuerit hactenus. & fore contra, ut exerat CHRISTUS regnum suum, atque in medio inimicorum presentissime dominetur. Quod contigisse ita novimus ex eventu. In universum verò nulla unquam inter tam dissimiles concordia esse potest. CHRISTUS Servator communis vitam atque salutem hominibus offert, & juvat, ac promovet. Satanus ne accipiant pellicit, dilapidatque jam parta, & uno illo generali propositio id agit, ut quam plurimi pereant, etiam si fieri possit, electi. *Matth XXIV. 24.*

§. 25. LOCUS praelii COELUM dicitur v. VII. Non id quidem gloriae, ut vocant, ubi tranquillissimus aeternae pacis portus, ubi quies laeta mutuusque consensus, & placida quaedam securitas incolas omnes habet: sed gratiae, hoc est, ECCLESIA. Quò pertinet appellatio *regni caelorum*, Ecclesiae crebro data, *Matth. XIII. II. 24. 31. 33. XX. I. XXII. I.* Item cum *Es. LI. 16. caelum plantari, & c. LV. 17. caelum novum creari dicitur.* Quae loquendi ratio Ecclesiae per Christum restorationem incipientem hinc quidem, sed consummandam demum in aeterna illa vita, II. Petr. II I. 13. denotat. Vid. *Glasf. Rhet. S. p. 223.*

§. 26. TEMPUS indigitatur v. X. Quando enim rejectae Satanae accusationes, ipse caelo extrusus, & respiravere iterum ex tot persecutionibus Christiani, pacem & libertatem adepti, tum certamen istud Michaelis & Draconis fuit impletum. Id
verò

verò sub CONSTANTINO M. contigit, qui primus Imperatorum Romanorum, excisâ gentilium superstitione, rem longe pulcherrimam perfecit, ut CHRISTI fides toto orbe excellissimè floureret. Sed de his paulò post.

§. 27. MODUM prælii quæras fortè curiosius, quàm ut accurate indages. Scribere enim talia prætermisit sacer auctor. Et nec scire ea nostrum magnopere interfuit: habendumque satis est, fructu prælii quod fruimur. In genere novimus, esse perpetua quædam inter angelos bonos malosq; certamina. Idq; tum ex rationibus aliis, tum exemplo manifestissimo patet, *Dan. X. 20. & XI. 1.* Ubi frustra sunt, qui de dissidio domestico, ex privatorum hominum custodia & præfectura regni, inter bonos Angelos oborto, locum istum explicant, sicuti *Becanus ex Theodoreto in Dan. X. Gregor Papa l. XVII. moralium c. 8. cum Scholasticis*, id fecere: Ex quorum numero Becanus, *inter Principem Persarum & Gabrielem disensionem fuisse ait, an Judæi essent liberandi ex Perside, nec ne? Negabat Princeps Persarum, Gabriel affirmabat. Nimirum uterq; causam agebat pro gente sibi commissâ. Nam Gabriel contendebat, Judæos liberandos esse, ne si diutius in Perside haberent, paulatim imbiberent mores Persarum, & relicto vero Deo, ad Idola se converterent. Alter contra urgebat, persistendum esse in Perside, tum quòd Persæ discerent à Judæis cultum & religionem veri Dei, tum etiam quòd Judæi meliores essent rebus adversis, quàm prosperis. v. Gerb. Diss. Isag. XIII. 8. qv. 6.* Quasi verò resisterent voluntati divinæ sanctissimi genii, ac non obsequerentur potius, absolverentq; impositas sibi partes. Nisi fortè existimet aliquis, non planè ipsis de sententia Auspicii sui constitisse. Id quod absurdum tenet, atq; à sapientiâ Angelorum, qui faciem Patris cælestis semper vident, alienum. Itaq; שר פרס Princeps Persarum malus quidam genius fuit, omni conatu id agens, ut impediret reditum populi, sacriq; cultus instaurationem. Habes & alibi Raphaëlis cum Asmodæo pugnam, *Tob. VIII. 3.* Cæterùm ARMA ipsorum procul dubio carnalia haud sunt, sicut nec nostra II. *Cor. X. 4.* ac quantum ex sacris liquet, Angelus Domini potenter imperando pugnat. *Jud. Ep. v. IX.*

§. 28. Se-

§.28. Sequitur de EVENTU. v. VII. *Et non valuerunt, neq; inventus est locus eorum amplius in caelo. Et projectus est &c.* v. VIII. Enimvero stylus iste manifestò Johannem Evangelistam auctorem indicat. Huic enim solemne est, Antitheses crebras rerum verborumq; & sententiarum, illustrationis & confirmationis causâ adhibere, uti id demonstravit *Glasius, Phil. S.L. I. tr. 4. s. 3.* Interim cum scriberet vir divinus, locum Draconis & Angelorum ejus in caelo amplius haud reperiri, non id voluit, planè exterminatum ex Ecclesiâ Satanam, & imbellem redditum. Namq; hoc ipso capite ingentes iras concepisse, & instaurasse praelium dicitur: savitq; haecenus quoque. Igitur de gradu quodam accipi ista oportet: quod vehementer accisae sint vires Satanæ, neque ut ante valeat igne ferroq; Christianos persequi, in libertatem ac pacem assertos. Passim tum expellebatur veterator a vitis suis sedibus: vacua templa, & oppleta araneis: squallebant aræ, conculcabantur ceremoniae futiles, & miser ipse esse, & plorare jubebatur, superbissimus nuper. heu

— — quantum mutatus ab illo!

§.29. Eadem expositio sequentium verborum est, cum ex caelo in terram projectus dicitur. Non enim est, quod primam illam detrusionem hic capias, de qua Petrus agit II. Ep. II. 4. & *Judas Ep. v. VI.* Ita per stellas caelo cadentes nihil aliud Apocalypsis, quam dejectos eminentiâ suâ doctores innuit. Et CHRISTUS cum de efficaciâ prædicationis quondam doceret, simili formulâ usus fuerat, *Luc. X. 18. videbam Satanam sicut fulgur caelo cadentem.* Quam primum enim Evangelii vox sonat & recipitur, ruit Satanæ. Fulgur verò celeritatem istius ruinæ infert. Ex quo proinde illud contigisse existimandum est, quod Dæmones crebrò deprecabantur, ne ante tempus ipsos Messias cruciaret. Operæ pretium erit adscribere hoc loco quædam Augustini verba, quæ ad locum illum Joh. XII. 31. *princeps mundi hujus nunc ejicietur foras,* commentatus olim fuit. *Hoc intelligendum est, inquit, quod nunc fit, non quod tandem post futurum est in novissimo die. Prævidebat ergo Dominus,*

C

quod

quod sciebat post passionem & glorificationem suam, per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, cui quando ex fide renunciant, ejicitur foras. Quod olim in paucissimis hominibus factum, nunc in multis magnisque populis jam mox futurum esse predictum est.

§. 30. Nimis indiligenter hic sum, qui *Esaiam* nondum allegavi. Hic verò cum inopinatum Regis Babylonii casum describeret, ita inquit: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, fili auroræ? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo; in cælum conscendam; super astra cæli exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium; similis ero altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris; in profundum lacus.* c. XIV. 12. Hic Lucifer Regem Babyloniorum notat. Qui divinos sibi honores cum arrogaret, & causam Satanae, dum tuebatur cultum ejus, strenuè ageret, è cælo in terram prolapsus, h. e. excidisse vanis ausis, atque in ordinem redactus dicitur. Planè sicuti postea quoque, Maximinus, Maxentius, Diocletianus, & cætera Diaboli instrumenta dejecta gradu, manus dederunt. Rideo certè miseros illos, quoties inscriptiones vanissimas lego: **DIOCLET. JOVIUS. MAXIM. HERCULEUS CÆSS. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENT. ET OCCID. IMPER. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO QVI REMPUB. EVERTEBANT.** Item: **DIOCLETIAN. CÆS. AUG. GALLERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQ. DELETA CULTU DEORUM PROPAGATO.** Apud *Baron. Ann. Eccl. ad A. Chr. CCGIV. S. 8.* Atqui falsissimum hoc. & Diocletianus denique, cum manifesti mendacii teneretur, ac de proposito etiam desperaret, stupore quodam mentis, consternationeque adactus, imperio se abdicasse scribitur.

§. 31. Habentur & alibi tales formulæ; *Jer. LI. 53. Thren II. 1. Amos. IX. 2.* ut jam locutionis hujus origo, à prima Diaboli & Angelorum ejus defectione & lapsu, desumta esse videatur.

§. 32.

§. 32. TERRA hinc & vers. XII. globum terrenum haud notat. Sic enim ad pios quoque ablegaretur Satanas, v. IX. atq; ad illos etiam VÆ pertineret, v. XII. quod aliter esse, ex dictis patet. Sed metaphoricè intelliguntur, qui corde suo terrena saltem versant, in terrenis fixi hærent, terrestriaq; & carnalia tantum curant. Et opponuntur incolis cœli, hoc est, hominibus verè Christianis, quorum est in cœlis *πολιτεια*, *Phil. III. 20.* Ut enim corpore suo terram incolant, cœlum tamen curant maximè, atq; eò omnes suas cogitationes intendunt, quasi jam extra mundum positi. In priores illos sævit Satanas. ibi exercet sese, conceptasq; iras atrocissimè effundit. Ab horum accusatione dimotus est. Nec alia perfectò *Augustini* sententia fuit, qui ita inquit. *Si justos in terrâ positos, appellaverunt Angeli fratres suos, non erit gaudium missum esse Diabolum in terram, quem molestiorem possent experiri sancti secum in terris positum, quam si, ut dicitur, adhuc esset in cœlo. Ceterum omnes in cœlo sunt, id est, in Ecclesiâ, quæ justè cœlum dicitur. Unde dejectus Diabolus descendit in suos, qui pro amore terreno, terra sunt.*

§. 33. Exere jam Religio Christiana caput, & hostes tuos triumphat. Neq; enim majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem anorum stragibus vinci non potuimus, præclara *Sulpitii Severi* vox est, postquam unam illam ex plurimis, sed atrocissimam longè *Diocletiani* sævitiam exposuisset. Hoc loco sancti genii, & anima consummatorum justorum. (*conf. Apoc. VII. 9. Ebr. XII.*) voce ingenti Deum ob victoriam istam celebrant. Etenim *φωνὴ μεγάλη*, magna vox, magnum affectum & multitudinem numerosam innuit. Confer *Apoc. V. 12. VI. 10. VII. 10. 15. XVI. 17. XVIII. 2. XIX. 1. XXI. 3.*

§. 34. Ita verò canunt: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas CHRISTI ejus.* Non quasi hæc Dei antea non fuerit, (æternum enim atq; immensum Numen est, *Dan. IV. 14. II. Reg. XIX. 5. I. Chron. XXIX. 29.*) sed quod tum demum esse ipsius fuerint demonstrata. Et inde fit, quod apud Prophetas orbis totius regnum CHRISTO promittitur, quem

coævum tn. Patri, atq; æqualem novimus, quæ Deus est. Nempe quoniam hunc hominem factum pro hæreditario omnium gentium Domino mundus debuit venerari *Ps. II. 8. XLVII. 3. 4. 5. LXXXII. 8. Dan. VII. 14. Zach. IX. 10.* Quæ vaticinia omnia hîc impleta censemus. Nam antea Satanæ se pro Deo gesserat. Habitus etiam à plerisq; pro tali: unde & *Princeps mundi* dicitur. *Joh. XII. 31.* Christiani verò *genus hominum superstitionis novæ & maleficæ*, *Svet. Ner. XVI.* atq; *exitiabilis*, *Tac. A. XV. 44. 5. prava & immodica*, *Plin. Ep. X. 97.* indeq; ipsi *per flagitia invisi*, & *odio humani generis convicti*, fontesq; ac novissima exempla *meriti. Tac. A. XV. 44. 4. 6. 9.* habebantur. Nam pessimi illi calumniatores, & *ἑσθηταὶ* maximè Christianis, (qui nullum plane Deum, aut certè Asini caput colerent, *Asinini* ideò vocati *Tertull. Apol. c. 18.*) & *ἀνθερωπιῶν σαρκῶν ἑσθῆς*, & promiscuos atq; incestos concubitus, imponebant. Vel quod cum veris Christianis *Ψευδωνύμοις*, Gnosticisq; & Carpocratianos confunderent: aut quoniam ipsi etiam infontes haud rarò, atrocitati tormentorum succumbentes, falsa faterentur. Utrumque enim hoc Apologiis suis inseruere, *Athenagoras* & *Justinus Martyr.* Et in proverbii formulam jam abierat: *Pluvia defecit, causa Christiani*, teste *Augustino de C. D. II. 3.* Quippe ad odii defensionem, illam quoq; vanitatem pagani prætexebant, quod *omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christiani essent causa.* *Si Tiberis ascenderet in mœnia: Si Nilus non ascenderet in arva, si cælum staret; si terra moveretur; si famēs, si lues, statim CHRISTIANUS AD LEONEM* acclamabatur: *Tertull. Apol.* Quod figmentum à Demetriano quodam, scripto insuper publico objectum, Cyprianus refutavit peculiari tractatu, ut videre est ap. *Euseb. H. E. VIII. 6.* Ac si de innocentia constaret etiam, solum tn. nomen crimen erat. *Ἐφ' ἡμῶν τὸ ὀνομασθῆναι ἐλεγχον λαμβάνετο*, ait *Justinus.* Et apud *Tertullianum Apol. c. III.* quidam inquit: *Bonus vir Cajus Sejus, sed malus tantum quod Christianus.* Alius: *Ego Lucium sapientem virum, repente Christianum factum defero.*

S. 35. Nullis unquam bellis mundus magis exhaustus est:
 & sa-

& sacro martyrum cruore omnia fluebant. Inauditæ etiam mortes tum excogitatæ. Adeo ut *Domitius Ulpianus* nobilis Jurisconsultus, libros septem scripserit, quibus poenis affici deberent Christiani, auctore *Lactantio V. Inst. c. XI.* Et *Tacitus* : *percutibus, inquit, addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniata canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammam, atq; ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. l. c.* Unde *Sarmentitios* illos & *semisios* vocabant. *Tertull. Ap. c. XLV. Cal. Rhodig. L. A. XVI. 49.* Quibusdam etiam *Biothanati*, hoc est, *vivi mortui* dicti: quod per mortem ad immortalitatem perventuros sese crederent. an ob vilitatem fortè & contemptum. Occidebantur enim impune, & vivi adhuc atq; spirantes, non aliter temerè, quàm exanimata corpora, atq; ignobiles umbræ habebantur. Vide *Eusebium* in primis *Hist. Eccl. VIII.*

§. 36. At hîc, cum sub primum felicissimi seculi exortum, quo *CONSTANTINUS M.* imperii potitus est, *PAX* religioni sanciretur: tum verò abdicato manifestè *Satana*, gloria omnis ac potestas deferebatur *CHRISTO*, isq; in possessionem quasi, detentam ab invasore impudente hactenus, demum introduci visus est. Equidem sonus verbi prædicati jam diu ante orbem penetraverat, maximis incrementis, *Rom. X. 18. Col. I. 23.* Nam postquam ascendisset in cælum *Dominus*, ex *Apostolis* ἀγυπτον ἢ λιβύαν ἀλλ' ἐλάγχανε, τοῖς δ' ἐσχάτοις τῆς ὠκεανῆς, ἢ ταῖς βρεταννικαῖς νήσοις ἐφίσατο ἕτερον, hic quidem *Libyam* atq; *Egyptum* sortitus est, alter verò extremas oceani regiones, & insulas *Britannicas* obtinuit. *Niceph. Callist.* *Thomas Parthos* adiit, *Matthæus* *Æthiopas*, *Bartholomæus* *Indos*, *Philippus* *Phrygas*, *Andreas* *Scythas*, *Johannes* *Asiam*, *Petrus* *Pontum*, *Galatiam*, *Bithyniam*, & *Cappadociam* informavere. *Paulus* verò ab *Hierosolymis* orsus, ad *Illyricum* usq;, quod *Sclavonia* audit hodiè, *Evangelium* κύκλω per circuitum propagavit. *Rom. XV. 19.* Unde *Basilus Seleuc.* elegantissimè quondam, *Paulum* *Apostolum* τὸν τὴν οἰκουμένην περιέδυσαντα, ἢ τῷ πρὸς πίστεως δρόμῳ τὸν κόσμον μικρὸν ἀποφύσαντα, hoc est, *terra habitabilis stadia percurrisse, & cursu pro fide suscepto mundi angustias demon-*

στράσε scripsit. Non tamen erat, quod ad paganismum illa com-
 pararentur. Cùm ipsa adhuc Regna teneret Satanas, & omnes
 retrò Imperatores habuisset obstrictos. Est verò ea Principum
 conditio, ut quicquid faciunt, præcipere videantur; libenter-
 que imitamur, quæ animos nostros magnis auctoribus subeunt.
 Igitur rectè illud *Eusebius* animadvertit ἡ μὲν ἐκπατὸς ἔκρη-
 τῆντ δεισιδαιμονία, συνελόντι Φάναι, πάντα τὰς ὑπ' αὐτὸν
 ἀρχοντας τε καὶ ἀρχομένους, εἰς τὴν αὐτῆ χάριν πάντες πρᾶττειν
 καὶ χειριστῶν ἐνήγε, quod absurda Imperatorum superstitio, tum
 Magistratus, tum subditos omnes in eorum gratiam nihil non mo-
 liri induxerit. Nisi si *Orosio* affirmanti id demus, primum ex
 Imperatoribus Romanis PHILIPPUM, Christo nomen dedisse.
 A.C.CCXLIV. Quod tn. *Scaliger*, *Animadv. Euseb. & Calvis. Ex*
Chron. ad A. C. 246. confutant. Et facit pro eo *Lactantius*
 maximè, qui proæmio suo: *Hoc opus, inquit, tui nunc auspicio*
nominis inchoamus, CONSTANTINE Imperator Maxime, qui
PRIMUS Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majesta-
tem Dei singularis ac veri, ET AGNOVISTI, & honorasti.

S. 37. Victoria ergò, quam hîc celebrat sacra concio, im-
 perante CONSTANTINO M. parta est: Quod intellexit jam tum
 felicissimus Imperator, & picturâ quâdam, literisq; ad Euse-
 bium uberius docuit. Planè uti existimemus, publicam hanc
 illo seculo fuisse sententiam. *Euseb. vit. Const. III. Theodoret.*
I. 15.

S. 38. Hic verò CONSTANTINUS, natione Britannus,
 (quod adversus J. Lipsium, *Jacobus Ulserius Armachanus Antiqu.*
Brit. p. 174. 186. 192. & Camden. in Britann. p. 570. pertendunt) post-
 quàm initio cum variis æmulis conflictatus esset, tandem Im-
 perium Romanum solus tenuit. Memorabile est, quod bello
 adversus Maxentium ipsi obvenit. Nam cùm contra se ten-
 derent duo exercitus, jamq; declinaret dies, species quædam
 Constantino observata fuit, cujus inscriptio: IN HOC SIGNO
 VINCE. *Euseb. H. E. IX. 9. Sozom. III. 1.* De signo CRUCIS, seu
 columnâ quadam lucidâ, quæ crucis haberet formam, id ple-
 riq; omnes explicant. Alii fuisse speciem censent *χριστομένης*
τῆς

τῆς ρωμαίων ἡ μεσαιωνικῆς. Cujus etiam typum ex antiquissimis nummis exprimunt, *Auctor vitæ Constant. l. 25. Baron. in Annal. Ang. Rocc. in Biblioth. Vatic.* Et fuerit fortè prius illud, certè absurdam Romanensium *πνευρολατρείαν* (cui ex hâc ipsâ re, incertâ oppidò, multum tn. roboris accessit) inducere haud debuit. Venerarentur potius auctorem victoriæ, Michaelē nostrum, qui adversus Maxentium istum, Angelum quendam Draconis tam feliciter depugnavit. Hic idem est, qui paulò ante Maximinum regni invasorem profligaverat, ac deinceps verò Licinium quoq; dùm turbas dat, compescuit, ministerio Constantini M. usus.

§. 39. Tùm ergò *Satanas cælo dejicitur*, hoc est, sistitur persecutionum furor, & Gentilismus ex imperio Romano proferibitur. Acta enim superiorum temporum Constantinus irrita pronunciat, & ita edicit: *Cod. Imp. l. tit. 2. Placuit omnibus locis atq; urbibus universis claudi protinus templa, & accessu vetitò omnibus, licentiam delinquendi perditis abrogari: volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. &c.* Sequenti verò tempore *Theodosius, Gratianus, Valentius, A.A.A. ne quis mortalium sacrificii ita faciendi sumat audaciam, ut inspectione jecoris extorumq; præfagio, vanæ spem promissionis accipiat. &c.* *Arcadius & Honorius: Sacrificia Templorum prohibemus &c.* *Honorius & Theodosius, omnia loca, quæ sacris error veterum deputavit, nostra rei jubemus sociari.* *Valent. & Marcianus: Nemo venerandi adorandiq; animo delubra, quæ olim jam clausa sunt, reseret.* *Confet. Sozom. l. 8.*

§. 40. Contra verò: *Nunc facta est Salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas CHRISTI ejus.* sive, jam agnoscitur Christus pro rege, ac declaratur publicè quasi, inq; possessionem imperii debiti introducitur. Nam religio Christiana non tolerata modò in Imperio Rom. aut libera ad summum: Quod quidem illi beneficium *Constantius Chlorus, Constantini M. Pater* indulserat, laudatus *Sozomeno*, ob hanc rem, qui ita inquit: *διωκομένων τῶν ἀνα τὴν ἄλλην οἰκισμένην ἐκκλησιῶν μόνων κωνσταντίνου ὁ κωνσταντίνος πατὴρ αἰδεῶς θεηοπέσειν συνεχῶς*

ἐν τῇ αἰσθητικῇ, cum Ecclesia aliis orbis partibus, persecutio-
 num fluctibus jactaretur, solus Constantius indulget Christianis po-
 testatem liberè suam religionem excolendi. Sed præter omnium
 oculos ivit, & veluti in triumpho invec̄ta est. Ipsi verò Chri-
 stiani ex profundo squalore & continuis cladibus emerſi, Deus
 bone, quam gaudebant? Quicunq; enim propter confessionem
 Christi exilii essent damnati, vel ad metallicos labores, aut pu-
 blica servitia, aut gynæcea, aut textrinas detrusi, liberos esse lege
 jusſit. Et si qui cū antea Senatores curiæ ejeti vel igno-
 miniâ notati essent, liberavit. Qui verò militaribus officiis pri-
 vati erant, iis optionem dedit, vel pristinum gradum recipiendi, vel
 cum dimissione honorificâ, liberali otio fruendi. Posteaquam
 verò omnes ad priorem libertatem consuetosq; honores revocasset,
 bona quoq; eis reddidit. Et si qui capitis condemnati, spoliati
 bonis fuissent, eorum hereditates ad genere proximos deferri; si
 nemo ex cognatis superesset, Ecclesiam cujusq; loci heredem fieri
 jusſit, ac sive privatus, sive fiscus illius substantiæ quicquam pos-
 sideret, restitui. Hæc, uti dictum, Imperatoris decreto, legeq;
 sancita, decentem absq; mora exitum sortita sunt; illustrissima
 Sozomeni verba, l. l. c. 8. Et legi hîc quoq; Eusebius debet Hist.
 Eccl. X. l. 1. ὡς τῆς ἐκ τῆς ἀποκαλύψεως ἐργασίας, & capite tertio
 etiam, ubi luculentissimè exposuit, quàm vehementer omnes
 de victoria ista Michaelis adversus Draconem exultaverint.
 Id quod mirificè certè cum ἐπιμύθη hoc Apocalyp̄tico con-
 cordat.

§. 41. Sed plura tñ. de amplitudine victoriæ dici adhuc
 possunt. Neque enim intra Imperium Rom. modò hoc
 CHRISTI REGNUM stetit. A remotissimis etiam populis doctri-
 na sacra exaudita est, cū nullis in eâ re laboribus sumtibusq;
 parceret providentissimus Imperator. Non adscriberem mo-
 dum propagationis, nisi Pontificii arguendi essent, qui Con-
 stantini M. imitationem pomposè crepant, & diversissimo
 tamen instituto, gladio atque igni miseros docent. Ita verò
 Sozomenus: Imperator, inquit, cū solus jam potitus rerum es-
 set, edicto publico injunxit subditis ad Orientem habitantibus Chri-
 stiano-

stianorum religionem colere, & numen studiosè venerari. Numen autem illud se intelligere, quod verè est, & omni tempore sat habet virium & potestatis. Qui enim hoc sedulo agant, iis solere omnia bona affluentè suppeterè, & quaecung; molirentur succedere ex voto. Qui verò circa id quod potissimum est, peccarent, iis omnia cum publicè tum privatim in bello & pace infeliciter evenire. Allegat deinceps quoq; quâ providentiâ Dei evocatus ipse, tuitusq; fuerit hætenus, saltem uti religionem Christianam assereret, locaretq; in tuto.
L.I.c.8.

§.42. Caterum ad Paganismi profligationem, atq; ut stabiliretur religionis veritas, haud parum contulère quoq; florētissimi scriptores, *Eusebius Cæsariensis*, cui *Pamphilo* ante nomen erat, & *Arnobius Afer*, ejusq; discipulus *Lactantius*, à lacteâ orationis ubertate ita appellatus, cum *Lucius Cælius Firmianus* antea diceretur. Præceptor fuit *CRISPI Cæsaris*, Constantini F. Scripsit *Juvenus* quoq; ac dein *Aurelius Prudentius*, Poëta illi quidem, sed fortè haud minus de religione Christianâ meriti. Est enim magna omnino floridi atq; ornati sermonis potestas ac vis: Et nescio quos tacitos stimulos, quas veluti faces habeant carmina, ut & altius penetrant animos, & vehementius eosdem incendunt. Qui nudis præceptis agunt rem, & venustatem orationis parum curant, eorum ingrata ferè & inamœna ratio est, nec semper satis efficax: cum monstrent tantum quid turpe honestumve factu fuerit; non flectant autem, vel invitent suaviter, vel cum auctoritate quadam deterreant.

§.43. Nunquam verò deinde in Imperio Rom. Ethnicismus restitutus est. Utut Constantii successor *JULIANUS* defectione suâ, & novis quibusdam inventis, (erat enim astutissimus) infinita mala daturus videbatur. Sed ecce *Ἰαῖος ἀπὸ μυχῶν*, & *nubecula hæc*, uti prædixerat *Athanasius*, citò transit, minata imbrem potius, quàm ut effunderet. Occubuit enim *Julianus*, expeditione *Perficâ*, cum paulò ultra annum rebus præfuisset.

§.44. Utinam verò pacem ab hostibus mala intestina haud excepissent! Quæ quantò occultiora sunt, eò magis noxia. Sicut etiam in certamine *Ariano* de literulâ unica tota contentio

D

tentio

tentio esse videbatur, à quâ tamen humani generis salus pendet. Adeò nihil in sacrâ Christi fide minutum est, & omittendum. Synodus quidem Nicena damnato Ario & sociis ejus remedium opportunè attulisse videbatur. Sed verò isti variis mox artibus, simulatione, fraude, calumniis, blanditiis Constantini, Constantii inprimis & Valentis favorem aucupati, sui restitutionem & ab exilio revocationem non tantùm impetrarunt, sed & conciliabula seu anticoncilia indixerunt, quibus sanctissima Christianismi mysteria obscuris verborum involucris & perplexis homonymiarum anfractibus ita dubia reddita sunt & incerta, ut vix sciret plebs Ecclesiastica, quid esset tenendum. Huc accedebant persecutiones plusquam Diocletianæ. Et actum procul dubio fuisset de fide, nisi post Deum magnus ille Athanasius cum paucis aliis infracto animo ruinæ huic se objecisset. Quo viro nihil unquam excelsius Ecclesia vidit. Adeò securus sui in negotio Dei, omnium calumniarum victor, lætus alacerq; perrexit. Fiduciam enim causâ dabat.

§. 45. Expedivimus ergò, QVI vicerint, & QUEM, & QUANDO. Nunc de instrumentis etiam victoriæ, hoc est, QUAE VIRTUTE comparata illa fuerit, breviter agam. Susclamatur concilio v. XI. *ὅτι αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν, ὡς τὸ αἷμα τοῦ ἀγνίου, ἔσπε* vicerunt eum propter sanguinem Agni. Appellatio AGNI Christo tribuitur, Job. I. 29. Ap. XIII. 8. ob immolationem nempe pro peccatis totius mundi factam, quam ut typi quidam præfigurarunt agni in V. T. mactati, I. Cor. V. 1. I. Pet. I. 16. Ap. V. 6. Item ob patientiam, mansuetudinem, innocentiam. &c. *ὡς* & PER & PROPTER commodè hoc loco sonat. Igitur propter sanguinem Agni pro ipsis effusum, vincunt Christiani Satanam, & per eundem ipsis adpersum. Ita Jobus vicit c. XIX. 25. & David Ps. LI. 9. Et quomodo quæso tot acerbissimorum cruciatuum sustinere ad spectum modò, nedum expetere, & sese illis offerre ultrò, ac superare deniq; Christiani potuissent, nisi sublimiori quadam vi, hoc est, Sanguinis CHRISTI fiducia instaurati ac fulti.

§. 46. Sequitur. *ὅτι ὡς τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν*
 & pro-

Et propter verbum testimonii illorum, nam intrepidè atque con-
 stanter Christum fuerunt confessi. C. Plinius cùm modum in
 cognoscendis Christianorum accusationibus sibi observatum,
 Trajano perscriberet, *Interrogavi ipsos, inquit, an essent Chri-
 stiani. Confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium ni-
 natus: perseverantes duci iussi. Neq; enim dubitabam, qualecunq;
 esset, quod faterentur, pertinaciam certè & inflexibilem obsti-
 nationem debere puniri.* Ep. X. 97. Ergo Secunde, si quis vera fa-
 teretur, tu pertinaciam, tu obstinationem appellabis? Retor-
 quenda sunt in te, quæ Christianis objicis; tu pertinax, tu obsti-
 natus, qui Deum verum, qui martyres ejus non vis intelligere,
 aut nescis, quin imò insectaris, perdis, destruis, sed nihil pro-
 ficis tamen: Nam majus indies agmen Christianis accedit,
 & perdendo reparas. Quam debueras verò lucem tuncagno-
 scere, & virtutibus tuis hanc omnium maximam addere, sine
 quâ ne ullæ quidem in te fuisse creduntur. Scilicet veteres
 illi heroes recolebant assiduè secum, quod CHRISTUS olim dix-
 erat: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor &
 ego illum coram patre meo, qui est in caelis. Porro quisquis ne-
 gaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre
 meo, qui est in caelis.* Matth. XX. 32. 33. Marc. VIII. 38. Luc. IX.
 26. XII. 8. Job IX. 17. XII. 42. Et Paulus: *Qui ore suo confitetur
 Dominum JESUM, & corde suo credit, quod Deus illum suscitave-
 rit ex mortuis, salvatur. Corde enim creditur ad justitiam,
 ore autem Confessio fit ad salutem.* Rom. X. 9. 10. Phil. II. 1. Ebr.
 IV. 14. & alii Apostolorum, Act. IV. 10. VIII. 37. XXIIV. 14. 1. Job.
 II. 23. IV. 15.

§. 47. Verba ultima commatis undecimi, QUOMODO
 VICERINT Christiani, explicant. *καὶ ἐκ ἠγάπησεν τὴν ψυχὴν
 αὐτῶν ἄχρι θανάτου, & non dilexerunt animam suam usq; ad
 mortem.* hoc est, sponte & imperterrito animo sese morti mar-
 tyrioque subjecerunt. Seu, ut Beza vertit, *anima sua pro-
 digi fuerunt usq; ad mortem.* Nam animam, hoc est, vitam
 diligere dicitur, qui nihil habet hanc vitâ charius: contra non
 diligit animam suam, qui periculis illam & morti ipsi expo-
 nere

vere haud dubitat, si gloria CHRISTI & necessitas id ita flagitent. Simili vero formula Christus quondam dixerat, *Joh. XII. 25. Qui diligit animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodiet eam.* Conferri hic possunt *Matthaeus cap. X. 39. XVI. 25. Marc. VIII. 35. Luc. IX. 24. XVII. 33.* & exemplum Pauli, *Act. XX. 24.*

§. 48. Neque verò est, quod Pontificii ex hoc loco quoddam CONSTANTIAE meritum exculpant. Nam praepositio *Ἄρα* ad priora duo, ad sanguinem Agni nempe, & testimonium pertinet. Distinctè postea, & quasi novo commate ponitur, quod Christiani, ut glosa habet, *non sic foverint carnem suam, ut animae perirent: sed elegerint mori potius, quam ut animas suas carnaliter diligerent.* Et verò, referretur fortè huc, non tamen *ἀιτιολογικῶς* semper, hoc est, ut efficientem causam, aut meritum vel instrumentum noter: sed *ταγματικῶς* persæpe, hoc est, de modo vel ordine capitur: Sicuti id quidem luculenter demonstravit *Glasius Gr. S. tr. VI. c. 9.*

§. 49. Historiam quod attinet, certè haud ullo tùm metu mortis Christiani movebantur. Res ipsis tortoribus admirabilis visa: unde Constantiam istam *ἔνστατον* dixerunt. Et cum Sabinus summus provinciarum Praefectus, Maximini mentem ceteris provinciarum Praesidibus aperire vellet, ita scripsit: *ἡ πινῶν ἔνστασις. καὶ τραχυτάτη βαλὴ εἰς τοὺς ἐν ὧσιν ἔστι, ὡς μήτε λογισμῶ διαιῶ τῆς κελεύσεως δύνασθαι ἐκ τῆς ἰσῆς, περὶ Ἰησοῦς ἀναχωρεῖν, μήτε τὴν ἐπιπέ, μένην τιμωροῦσθαι αὐτοὺς ἐκφοβεῖν, Christianorum pertinacia, & perversa voluntas eodem temeritatis processit, ut neq; recta mandati praescriptione a proprio instituto recedere voluerint, neq; supplicium ipsis inflictum eos ullà ex parte potuerit perterrere.* *Euseb. H. E. VIII. 14.* Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoq; avidius tum martyria gloriosos mortibus querebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetantur, praecleara *Sulpitii Severi* vox est. Simulatq; verò sententia contra priores pronunciata fuit, alii aliunde ad tribunal Judicis profiluerunt, seq; Christianos confiteri, acerbitates, & multiplicia tormenta pro nibilo ducere,
abs-

absq; metu & terrore pro religione loqui, cum gaudio deniq; risu
& latitiâ, postremam mortis sententiam excipere solebant. c. IX.
Id quod pro gravissimo innocentiae argumento Tertullianus
allegat, dum ait: Christianus interrogatus vel ultrò confitetur,
damnatus gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturam mali
non habet? timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam,
deplorationem. Quid hoc mali est, cuius reus gaudet, cuius ac-
cusatio votum est, & pœna felicitas.

§. 50. *Δὲ τὰς ἐν οὐρανῷ πνεύματα, ἃ οἱ ἐν αὐτοῖς σκη-
νάζονται, igitur latamini cœli, & qui ibi habitant.* Apostrophe fit
ad cœlum; cuius figuræ exempla alibi quoque occurrunt, Deut.
XXXII. 1. Es. I. 2. Jer. II. 12. 13. XXII. 29. Et sensus est, si intelligen-
tiam & rationem haberet cœlum, exultaret profectò, & de
victoriâ Christianis gratularetur; sicut in universum auctori
suo creaturæ promptissimè applaudunt. Per *σκηνοῦσας ἐν αὐτοῖς*
habitantes in cœlo, intelliguntur partim angeli sancti, quibus
ex Dei gloriâ & bonis nostris jucunda voluptas est; partim
animæ beatorum, quæ indefessis præconiis Deum suum cele-
brant semper, & nunc imprimis gaudent, victum Draconem,
fratresque suos melius longè in posterum esse habituros.

§. 51. Latamur meritò & nos, quos ista victoria præcipuè
attinet. Faxit verò MICHAEL, ne unquam DRACO reparet vires
fractas, atque instauret pugnam, quam meditatur diu hacte-
nus, dissidia clanculum, & civiles turbas passim miscens.

nunquam nocentior, quàm cùm pacem
simulat.

SOLI DEO GLORIA






Projectum cœlo Satanam, vetitumq; ne-
fandis

Ulterius sanctos exagitare modis:
Tum quibus auspiciis stabilita, accreverit auctu
Sancta fides semper religioq; novo:
Hic CLANNERE refers. Et quæ jucundior ulla
Notitia est, fatum quam meminisse suum;
Et grates deferre DEO, qui talia fecit
Otia, & egregios nunc finit ire dies.

ABR. CALOVIVS D.



Umg. VI 19

ULB Halle

3

003 144 232



TA 20L
SR. 124: AMN: 00

VD 17 Z





D. O. M. A.

Pugna Michaelis

& Draconis

Sive

in Apocalypf. c. XII. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

EXEGESIS

quam

PRÆSIDE

VIRO PL. REVERENDO, AMPLISSIMO, ET

EXCELLENTISSIMO

DN. ABRAHAM CALOVIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ecclesiæ VVitteb.

Pastore, & Electoratus Saxon. Superint. Gener. nec non Ecclesiast.

Consist. Assesf. longè meritisimo.

DN. Præceptore & Patrono suo summo:

WITTEB. D. XXI. JAN. A. O. R. M. DC. LVIII.

publicæ disquisitioni sistet

Auctor & Respondens

M. BURCHARDUS CLANNERUS, WIT.

SEREN. ELECT. SAX. ALUMNUS.

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

